


D  
S  
T4  
V.2

UC-NRLF



B 3 443 698







**SELECTIONS FROM MATTHEW PARIS**

THE VICTORY OF THE SPANISH

TEXTS FOR STUDENTS. No. 2

---

SCHOOL SERIES

GENERAL EDITORS: CAROLINE A. J. SKEEL, D.LIT.;  
H. J. WHITE, D.D.; J. P. WHITNEY, B.D., D.C.L.

SELECTIONS FROM  
MATTHEW PARIS



SOCIETY FOR PROMOTING  
CHRISTIAN KNOWLEDGE

LONDON: 68 HAYMARKET, S.W.

1918

115  
T4  
v.2

## INTRODUCTION

THE extracts printed in this volume are taken from the *Chronica Majora* of Matthew Paris. He was a monk of St. Albans from 1217 to his death in 1259, and for many years was chronicler of the monastery. St. Albans was often visited by Kings and other great persons, so that he had many opportunities of gaining information for his work ; thus he tells us that Henry III. during a visit to St. Albans told him all the Kings of England who had been canonized as saints, and the names of the 250 English baronies. Moreover, he travelled about to see things for himself ; he was present at a great ceremony in London in 1247, when the King asked him to remember all he had seen, and write a full account of it in his book. Soon afterwards he was called upon to visit Norway to reform the abbey of St. Benet Holm, a duty which he successfully performed. Owing to the diligence with which he gathered information, the history of Matthew Paris is exceedingly full and varied ; he did not confine himself to events in England, but wrote on the affairs of the Empire and the Papacy, of Italy, Germany and France ; he tells us much about the Crusades, and notes events in Spain, Hungary, and the East. He meant to close the *Chronica Majora* in 1250 and then to revise his work, but he afterwards continued it up to 1259, where it ends abruptly. His other writings are : (1) *Historia Minor* or *Historia Anglorum*, an abridgment of the *Chronica Majora* ; (2) *Lives of the Abbots*

of St. Albans ; (3) *Liber Additamentorum*, documents that form a kind of appendix to his other works ; (4) lives of various saints. He was an expert in writing and drawing, and the MSS. of his Chronicle are illustrated with drawings and paintings executed with his own hand or under his direction.

Matthew Paris has been called the greatest historical writer of the greatest mediæval century. He brings the thirteenth century vividly before us, for he is an excellent story-teller and indefatigable in using original documents and repeating the accounts given by eye-witnesses. His prejudices are certainly strong, against foreigners and ecclesiastical reformers specially ; he is absolutely without sympathy for the Friars, and is naturally opposed to the movement for strengthening the hands of Bishops against monks. But in spite of his limitations of mind, his bias, and his confused chronology, he may justly be called "the last of the great monastic chroniclers as he is the greatest ; the last great name too among the English Benedictines."

The text of these selections is reprinted by the kind permission of the Master of the Rolls, from Dr. Luard's edition of the *Chronica Majora* in the Rolls Series ; the spelling there given has been followed. The glossary contains only those words that are not to be found in an ordinary Latin dictionary.

CAROLINE A. J. SKEEL.

## CONTENTS

	PAGE
INTRODUCTION - - - - -	V
KING HENRY MARRIES ELEANOR, DAUGHTER OF THE COUNT OF PROVENCE - - - - -	9
A DISPUTE BETWEEN THE PAPAL LEGATE OTTO AND THE SCHOLARS OF OXFORD - - - - -	14
CONTROVERSY BETWEEN THE DOMINICANS AND FRAN- CISCANS - - - - -	18
ACCOUNT GIVEN OF THE TARTARS BY PETER, A RUSSIAN ARCHBISHOP - - - - -	20
A LEGATE IS SENT INTO FRANCE TO PREACH THE CRUSADE - - - - -	24
MANY FRENCH NOBLES TAKE THE CROSS - - - - -	25
DEVICE OF LOUIS IX. TO MAKE CRUSADERS - - - - -	27
THE ASSEMBLAGE OF ALL THE NOBLES OF ENGLAND - - - - -	28
COMPLAINTS TO THE KING BY BRABANTINE MERCHANTS WHO HAD BEEN ROBBED - - - - -	31
WALTER DE BRIENNE PUT TO DEATH BY THE SARACENS	37
HENRY III. KEEPS CHRISTMAS AT YORK FOR THE MAR- RIAGE OF HIS DAUGHTER MARGARET TO ALEXANDER III. OF SCOTLAND - - - - -	41
ACCUSATION OF SIMON DE MONTFORT BY THE GASCONS -	46
ROUND TABLE AT WALDEN - - - - -	49
EXACTIONS OF THE KING FROM THE LONDONERS - - - - -	52
VISIT OF HENRY III. TO LOUIS IX. AT PARIS - - - - -	53
NOTES - - - - -	61
GLOSSARY - - - - -	63

**NOTE.—**The references given at the beginning of  
the extracts are to Vols. III., IV., V., of the  
Rolls Series edition of Matthew Paris.

## SELECTIONS FROM MATTHEW PARIS

---

*King Henry marries Eleanor, Daughter of  
the Count of Provence.*

ANNO DOMINI MCCXXXVI., qui est annus regis Henrici III. vicesimus, tenuit idem rex curiam suam ad Natale Domini apud Wintoniam, ubi eum 1236. R.S. III., pp. 334-9. autem ardenti desiderio suorum adventum nuntiorum. Solennes enim nuntios viros prudentes in Provinciam ad Reimundum comitem ejusdem Provinciæ, cum literis præcordiale consilium suum continentibus de matrimonio contrahendo cum filia sua Alienora, destinavit. Erat autem ille prædictus comes vir illustris, et in armis strenuus; sed [per] prælia continua fere quicquid habuit ex ærario ventilavit. Duxerat autem idem comes in uxorem filiam comitis Sabaldiæ Thomæ jam mortui, sororem comitis Sabaldiæ adhuc viventis Amidei, miræ pulchritudinis mulierem, nomine Beatricis. Quæ ex viro suo prædicto comite R[eimundo] prolem suscepit decoris expectabilis filias, quarum primogenitam rex Francorum Lodowicus matrimonio sibi copulavit, nomine Margaretam hæc omnia nuntiante J[ohanne] de Gatesdene clero. Unde et consequenter natu minorem virginem speciei

venustissimæ, jamque duodennem, rex Anglorum in uxorem sibi dari per prædictos nuntios postulaverat. Et ad hunc favorem exequendum præmiserat Ricardum priorem de Hurle secrete, qui negotium fideliter et diligenter cum effectu prosequebatur. Quod postquam regi rediens intimaverat, remisit rex alios nuntios simul cum eodem priore, scilicet Hugonem Elyensem et R[adulphum] Herefordensem episcopos, et fratrem Robertum de Sanfordia, magistrum militiæ Templi, ad comitem prænominatum. Qui ad eum in Provinciam profecti, cum summo honore et reverentia sunt recepti, et filiam ejusdem, scilicet Alienoram, regi Anglorum matrimonio associandam, de manu ejus suscepserunt, sub ducatu tamen domni Willelmi electi Valentiae, avunculi ejusdem puellæ, viri præclari et elegantis, comitis quoque Campaniæ, regis Angliæ consanguinei, adducendam. Quod postquam rex Navarriæ cognovisset, audiens eos transitum facturos per fines suos, occurrit lætabundus; et fuit eis dux et comes per totam terram suam, scilicet quinque dietas et amplius; et ex innata sibi munificentia eos exhibuit in expensis tam in equis quam hominibus. Erant autem plusquam trecentas equitaturas jam habentes sine plebe quæ eos sequebatur numerosa. Cum autem in terminos Francorum pervenissent, per conductum regis Francorum et reginæ sororis puellæ despontandæ, necnon et Blanchiæ matris regis Francorum, non tantum liberum, sed honorificum transitum optinebant. Intrantes igitur mare in portu Santwici, velis sinuosis ante expectatum ad portum Doveriæ rapido cursu pervenerunt. Applicantibus igitur prospere et Cantuariam venire properantibus occurrit dominus rex, et in adventantium amplexus ruit nuntiorum. Et visa

puella, sibi accepta, apud Cantuariam eandem despontavit, solemnitatem desponsalium archiepiscopo Cantuariensi Ædmundo, simul cum episcopis qui advenerant cum puella, et aliis magnatibus, nobilibus, cum prælatis, decimo nono Kalendas Februarii, peragente. Decimo quarto autem Kalendas ejusdem venit dominus rex apud Westmonasterium; et in crastino, scilicet die Dominica, facta ibidem solemnitate inaudita et incomparabili, portavit coronam, et coronata est regina Alienora. Desponsata fuit igitur regi H[enrico] III. Cantuariæ. Nuptiæ vero celebratæ Londoniis apud Westmonasterium die sanctorum Fabiani et Sebastiani.

*The Royal Ceremonies at the Marriage.*

Convenerat autem vocata ad convivium nuptiale tanta nobilium multitudo utriusque sexus, tanta religiosorum numerositas, tanta plebium populositas, tanta histrionum varietas, quod vix eos civitas Londoniarum' sinu suo capaci comprehendenderet. Ornata est igitur civitas tota olosericis et vexillis, coronis et pallis, cereis et lampadibus, et quibusdam prodigiosis ingenii et portentis, plateis omnibus a luto, fimo, et stipitibus, et omni offendiculo emundatis. Cives autem Londonienses, obviam tum regi tum reginæ occurrentes, ornati et phalerati

Certatim celeres experiuntur equos.

Et eadem die cum a civitate ad Westmonasterium proficerentur, ut ministerium pincernæ, quod ad eos ex antiquo jure spectare dinoscitur, regi in coronatione sua persolverent, sericis vestimentis ornati, cicladibus auro textis circumdati, excogitatis mutatoriis amicti, insidentes equos pretiosos, lupatis et sellis novis reful-

gentes, dispositis per ordinem agminibus incesserunt. Ferebant autem trecentas et sexaginta cuppas aureas vel argenteas, tubicinibus regis præviis et tubis canentibus, ita ut intuentibus talis tamque mirabilis novitas stuporem laudabilem generaret. Archiepiscopus autem Cantuariensis, ex jure ad eum specialiter spectante, coronationis officium celebriter consummavit, assistente ei Londoniensi episcopo pro decano, episcopis aliis in stationibus suis secundum suum ordinem collocatis; similiter et omnibus abbatibus, quibus præponebatur, sicut de jure præponendus est, abbas Sancti Albani. Quia sicut prothomartyr Angliæ beatus Albanus primus est inter omnes martyres Angliæ, ita et ejus abbas inter omnes abbates Angliæ primus sit ordine et dignitate, sicut ejusdem ecclesiæ autentica privilegia protestantur. Magnates autem, quæ sua erant ex antiqua consuetudine et jure antiquo in regum coronationibus, exercebant. Similiter et quidam cives aliquarum civitatum officia, quæ sibi de jure antecessorum suorum competitabant, consummaverunt. Comite Cestriæ gladium Sancti Ædwardi, qui Curtein dicitur, ante regem bajulante, in signum quod comes est palatii, et regem si obserret habeat de jure potestatem cohibendi, suo sibi, scilicet Cestrensi, constabulario ministrante, et virga populum, cum se [in]ordinate ingereret, subtrahente; magno marescallo Angliæ, scilicet comite de Penbroc, virgam ante regem bajulante, et tam in ecclesia, quam in aula, iter regi præparante, et in mensa regale convivium cum convivis disponente; custodibus vero Quinque Portuum pallam super regem eum quatuor hastis supportantibus, quod tamen tunc scrupulo contentionis penitus non carebat; comite autem Legrecestriæ regi pransuro in

pelvibus aquam ministrante; comite Warenniæ officium cuppæ regalis loco comitis Harundelliæ supplente, eo quod adolescens adhuc fuerit idem comes Harundelliæ, nec adhuc gladio cinctus militari. Ex officio pincernæ fuit magister Michael Belet, comite Herefordiæ ministerium marescalciæ in domo regis peragente, Willelmo de Bello Campo officium elemosinariæ consummante. Justitiario forestæ fercula a dextris regis in mensa disponente, licet obice cujusdam contradictionis non præalentis primo impediretur; civibus Londoniarum merum abundanter cum vasis impretiabilibus undique largientibus; Wintoniensibus coquinæ et dapium curam gerentibus: et aliis secundum statuta antiqua quæ sua erant procurantibus vel procurare vendicantibus. Unde ne exorta contentionе lætitia nuptialis nubilaretur, salvo cuius libet jure, multa ad horam perpessa sunt, quæ in tempore oportuno fuerant determinanda. Officium cancellarii Angliæ et omnia officia ordinata sunt, quæ regia sunt, et assisa in scaccario. Unde cancellarius, camerarius, marescallus, constabularius, sibi ibidem sedem sumperunt, sui ratione officii, sicut barones omnes in sui creatione fundamentum in civitate Londoniarum, unde quilibet eorum suum ibi locum sortitur. Splenduit igitur solemnitas generalis, clero ac militia laudabiliter ordinata. Abbas vero Westmonasterii aquam benedictam aspersit; thesaurario patenam, vices agens subdiaconi, bajulavit. Quid in ecclesia seriem enarrem Deo ut decuit reverenter ministrantium? Quid in mensa dapium et diversorum libaminum describam fertilitatem redundantem? Venationis abundantiam, piscium varietatem, joculatorum voluptatem, ministrantium venustatem? Quicquid mundus potuit effundere voluptatis et gloriæ eminus ibi demonstrabat.

*A Dispute between the Papal Legate Otto  
and the Scholars of Oxford.*

TUNC vero temporis dominus legatus cum Oxoniam adventasset, et honore summo, prout decuit, recipere tur,

1238. hospitatus est in domo canonicorum, scilicet

R.S. III., abbatia de Oseneie. Clerici vero scholares pp. 481-5.

eidem xenium honorabile in poculentis et esculentis transmiserunt ante prandii tempus. Et post

prandium, ut eum salutarent et reverenter visitarent, ad

hospitium suum venerunt. Quibus advenientibus, janitor

quidam transalpinus, minus quam deceret aut expediret

facetus, et more Romanorum vocem exaltans, et januam

aliquantulum patefactam tenens, ait, "Quid quæritis?"

Quibus clerici, "Dominum legatum, ut eum salutemus."

Credebant enim confiderter, ut essent honorem pro

honore recepturi. Sed janitor, convitiando loquens, in

superbia et abusione introitum omnibus procaciter denegav-

it. Quod videntes clerici, impetuose irruentes intrarunt;

quos volentes Romani reprimere, pugnis et virgis cædebant;

et dum objurgantes ictus et convitia geminarent, accidit

quod quidam pauper capellanus Hyberniensis ad ostium

coquinæ staret, et ut quippiam boni pro Deo acciperet,

instanter, more pauperis et famelici, postulaverat. Quem

cum magister coquorum legati (frater legati erat ille, et

ne procuraretur aliquid venenosum, quod nimis timebat

legatus, ipsum ipsi officio præfecerat, quasi homini spe-

cialissimo) audivit, nec exaudivit, iratus in pauperem,

projecit ei scilicet in faciem aquam ferventem, haustam de lebete ubi carnes pingues coquebantur. Ad hanc injuriam, exclamavit quidam clericus de confinio Walliae oriundus, "Proh pudor! ut quid haec sustinemus?" Et arcum, quem portavit, tetendit, (dum enim tumultus accreverat excitatus, clericorum aliqui arma, quae ad manus venerunt, arripuerant,) et ipse missa sagitta corpus coci, quem clerici satirice Nabuzardan, id est, principem coquorum, vocabant, transverberavit. Corruente igitur mortuo, clamor excitatur. Ad quem stupefactus legatus, et nimis perterritus timore qui posset in constantissimum virum cadere, in turrim ecclesiæ indutus capa canonicali se recepit, seratis post terga ostiis. Ubi cum noctis opacæ conticinium tumultum pugnæ diremisset, legatus, vestimentis canonicalibus exutis, equum suum optimum ascendit expeditus, et ducatu eorum qui vada secretiora noverunt, amnem, qui proximus erat, licet cum periculo, transivit, ut ad protectionem alarum regis ocios avolaret. Clerici enim furia invecti legatum etiam in abditis secretorum latebris quærere non cessabant, clamantes et dicentes; "Ubi est ille usurarius, simonialis, raptor reddituum, et sititor pecuniæ, qui, regem pervertens, et regnum subvertens, de spoliis nostris ditat alienos?" Insequentium autem adhuc clamores cum fugiens legatus audiret, dixit intra se:

"Cum furor in cursu est, currenti cede furori."

Et patienter omnia tolerans *factus est sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.* Cum autem, ut prædictum est, amnem vix pertransisset, paucis, pro difficultate transitus, comitantibus, cæteris in abbatia latitantibus, ad regem [apud Abendone commorantem] anhelus et turbidus usque pervenit; et lacrimabiliter, singultibus

sermones suos interruptibus, rei gestæ ordinem, gravem super hoc reponens querimoniam, tam regi quam suis collateralibus explicavit. Cujus querulis sermonibus cum rex attonitus nimis compateretur, misit properanter comitem Waranniæ cum armata manu Oxoniam, eos qui latuerant Romanos eripere et scholares arripere. Inter quos captus est truculenter magister Odo legista, et ipse cum aliis triginta vinculis et carceri in castro de Waligeford, quod non multum distat ab Oxonia, ignominiose mancipatus. Legatus vero contrito laqueo liberatus, episcopis convocatis nonnullis, Oxoniam supposuit interdicto et omnes illi enormi facto consentaneos excommunicavit. Postea in bigis, more latronum, ad arbitrium legati Londonias sunt transvecti, et ibidem carceri et vinculis arctæque custodiae, redditibus spoliati et anathemate innodati, mancipantur.

*The Reconciliation of the Scholars of Oxford and the Legate.*

Legatus vero, qui versus partes Angliæ aquilonares tetenderat, flexo loro, Londonias reversus est. Et vix auso in regali hospitio episcopi Dunelmensis, ubi solito hospitabatur, commorari, significavit rex civitati Londoniarum, ut eundem legatum diligentibus excubiis cum armata manu, ut pupillam oculi, custodiret major civitatis cum civium universitate.

Legatus igitur archiepiscopum Eboracensem et omnes episcopos Angliæ, auctoritate qua fungebatur, ut Londonias convenienter, districte convocavit, de statu ecclesiæ et cleri periclitantis decimo sexto kalendas Junii communiter tractaturi. Quo cum die præfixo

pervenissent, tractatum est diligenter per episcopos, ut salvaretur status clericalis universitatis, veluti secundæ ecclesiæ; quibus et legatus condescendit, salvo tamen honore ecclesiæ Romanæ, ne improperando diceretur, ut qui venerat clerum cum ecclesia reformare, potius deformaret. Tandem suggestum est legato ab episcopis et universitate cleri, quæ ibidem in præsenti fuit, quod certaminis discrimen a familia sua sumpsit exordium, et in fine certaminis clerus deteriorem calculum reportavit; insuper jam de clero pars magna ad nutum suum carceri mancipatur, et pars reliqua, mandato suo parens, parata fuit humiliter subire, in loco ab Oxonia circiter tribus distante dietis; ad petitionem tot et tantorum virorum, ad misericordiam inclinare debere. Tandem elaboratum est, quod hanc faceret legatus misericordiam, quod, comitantibus episcopis pedes euntibus, scholares omnes ibidem congregati ab ecclesia Sancti Pauli, quæ fere per unum miliare ab hospitio legati distabat, pedes irent; ita tamen, quod cum venirent ad hospitium episcopi Carleolensis, illinc sine capis et mantellis discincti et discalciati, usque ad hospitium legati procederent, humiliter veniam postulantes, misericordiam et veniam consequendo conciliarentur; quod et factum est. Videns autem dominus legatus hanc humiliationem, recepit eos in gratiam suam, restituens universitatem loco suo ipsius municipii, interdictum cum sententia misericorditer ac benigne relaxando, literasque ei confiendo ne illis proinde nota infamiae aliquando procaciter obiceretur.

*Controversy between the Dominicans and  
Franciscans.*

ET ne mundus turbinibus undique multiplicatis vacare videretur, inter fratres Minores et Prædicatores controve-  
1243. versia eisdem temporibus ventilata, multos,  
R.S. IV., eo quod viam perfectionis, videlicet paupertatis pp. 279-80. et patientiæ, videbantur elegisse, movit in admirationem. Aserentibus enim Prædicatoribus se fuisse priores, et in hoc ipso digniores, habitu quoque honestiores, a prædicatione merito nomen et officium se sortiri, et Apostolica dignitate verius insigniri, respondent Minores, se arctiorem vitam et humiliorem pro Deo elegisse, et iecirco digniorem, quia sanctiorem, et ab ordine Prædicatorum ad ordinem eorum fratres posse et licenter debere, quasi ab inferiori ad ordinem arctiorem et superiorem, transmigrare. Contradicunt eis in faciem Prædicatores, asserentes, quod licet ipsi Minores nudi pedes et viliter tunicati cinctique funiculis incedant, non tamen eis esus carnium, etiam in publico, vel dieta propensior, denegatur, quod fratribus est Prædicatoribus interdictum; quapropter non licet ipsis Prædicatoribus ad Minorum ordinem, quasi arctiorem et digniorem, avolare, sed potius e converso. Sic igitur, sicut inter Templarios et Hospitalarios in Sancta Terra, sic et inter illos, humani generis inimico zizania seminante, ortum est discordiæ enorme scandalum, et quia viri literati sunt et scolares, universali ecclesiæ nimis periculosum, in indicium

magni judicij præ foribus imminentis. [Et quod terribile est et in triste præsigum, per trecentos annos vel quadringentos, vel amplius, ordo monasticus tam festinanter non cepit præcipitum, sicut eorum ordo, quorum fratres, jam vix transactis viginti quatuor annis, primas in Anglia construxere mansiones, quarum ædificia jam in regales surgunt altitudines. Hi jam sunt, qui in sumptuosis et diatim ampliatis ædificiis et celsis muralibus thesauros exponunt impreciabiles, paupertatis limites et basim suæ professionis, juxta prophetiam Hyldegardis Alemanniæ, impudenter transgredientes. Morituris magnatibus et divitibus, quos norunt pecuniis abundare, diligenter insistunt, non sine ordinariorum injuriis et jacturis, ut emolumenitish inhiens, confessiones extorquent et occulta testamenta, se suumque ordinem solum commendantes et omnibus aliis præponentes. Unde nullus fidelis, nisi Prædicatorum et Minorum regatur consiliis, jam credit salvari. In adquirendis privilegiis solliciti, in curiis regum et potentum consiliarii, et cubicularii, et thesaurarii, paranimphi et nuptiarum prælocutores, papalium extorsionum executores, in prædicationibus suis vel adulatores, vel mordacissimi reprehensores, vel confessionum detectores, vel incauti redargutores. Ordines quoque auctenticos et a sanctis patribus constitutos, videlicet a Sanctis Benedicto et Augustino, et eorum professores contempnentes, prout in causa ecclesiæ de Scardeburc, in qua Minores turpiter ceciderunt, patuit, suum ordinem aliis præponunt. Rudes reputant, simplices, et semilaicos, vel potius rusticos, Cistercienses monachos; Nigros vero, superbos et epicuros.]

*Account given of the Tartars by Peter,  
a Russian Archbishop.*

ET dum hæc fatalis alea mundi revolvisset, quidam archiepiscopus de Russcia, Petrus nomine, vir, ut æstimari potuit, honestus, spiritualis, et fide dignus, a 1244. R.S. IV., IP. 386-9. Tartaris exterminatus, ut archiepiscopatu suo, immo ab ipso [regno] fugiens et effugatus, ad partes se transtulit cisalpinas, consilium et auxilium et de sua tribulatione consolationem adepturus, si sibi, dante Deo, ecclesia Romana et principum clemens forte gratia subveniret. Requisitus igitur de conversatione ipsorum Tartarorum quam expertus est, inquisitoribus sic respondit.

“Reliquias ipsos credo fuisse Madianitarum fugientium “a facie Gedeonis usque ad remotissimas partes subsolani “et boreæ, et sese recipientium in loco horroris et vastissimæ solitudinis, qui Etreu dicitur. Habebant autem “duodecim duces, quorum major dicebatur Tartarcan, a “quo Tartari dicti sunt, quamquam dicant nonnulli ipsos a “Tarachonta dictos. Ab illo autem descendit Chiarthan, “habens tres filios; nomen primogeniti Thesyrean, secundi “Churicam, tertii Bathatarcan. Qui quamvis essent in “montibus eminentissimis et quasi immeabilibus nati et “nutriti, rudes, exleges, et inhumani, et expulsis leonibus “et draconibus, in cavernis et specubus educati, ad “desiderabilia tamen provocabantur. Exierunt igitur “pater et filii cum infinitis armaturis suo modo com-

“muniti, et quandam maximam civitatem, cui nomen  
“Ernac, obsidentes, ipsam occuparunt, cum domino ipsius  
“civitatis, quem statim occiderunt; et Curzeusam, ejus  
“nepotem, fugientem insecuri sunt per multas provincias,  
“devastantes omnium provincias, qui eum receptaverant.  
“Inter quas pro magna parte devastata est Russia, jam  
“sunt viginti sex anni. Mortuo vero patre, tres fratres ab  
“invicem sunt divisi. Et diu pastores gregum, quos  
“rapuerunt, effecti, omnes vicinos pastores vel victos  
“occiderunt aut sibi subjecerunt. Et sic multi facti et  
“fortiores, constitutis inter se ducibus, ad altiora con-  
“volarunt, et sibi civitates subjugarunt, vincentes habi-  
“tatores earum. Thesirchan ivit contra Babilonios,  
“Curhican contra Thurcos, Bathatarcan Ornachi, et misit  
“principes suos contra Russiam, Polonię, et Hungarię,  
“et multa alia regna. Et isti tres cum suis numerosissimis  
“exercitibus partes Syriae vicinas invadere præsumunt.  
“Et jam transierunt, ut aiunt, triginta quatuor anni, ex  
“quo primo exierunt deserto Etreu.”

De modo credendi requisitus, respondit, quod unum dominatorem mundi credunt, et cum legationem mitterent ad Ruthenos, mandaverunt in haec verba; “Deus et filius ejus in cœlis, et Chiarchan in terris.” De forma vivendi, dixit; “Carnes comedunt jumentinas, caninas, et alias abominabiles, etiam in necessitate humanas, non tamen crudas, sed coctas. Sanguinem, aquam, et lac bibunt. Graviter puniunt scelera, furta, mendacia, et homicidia, ultimo suppicio. Ad convictum familiarem, vel negotiorum tractatus, vel consiliorum secreta, alias nationes non admittunt. Seorsum castrametantur, ad quæ si quis alienigena præsumperit venire, trucidatur confessim.”

De ritu autem ac superstitione eorum ait; “Quolibet  
“mane manus ad cælum levant, Creatorem adorantes.  
“Comedentes vero, primum morsellum in aera jaciunt;  
“bibentes, prius partem in terram fundunt, in veneratione  
“Creatoris. Et dicunt se habere sanctum Johannem  
“Baptistam pro duce. In novilunio gaudent et celebrant.  
“Fortiores et agiliores nobis sunt, et potentiores sufferre  
“dura; similiter et equi eorum et pecudes. Mulieres  
“bellatrices, præcipue sagittatrices optimæ sunt. Arma  
“de corio habent vix penetrabilia, ad muniendum; ferrea  
“et intoxicata, ad impetendum. Machinas habent multi-  
“plices, recte et fortiter jacientes. Sub divo quiescunt,  
“non curantes de æris inclemensia. De omnibus nationibus  
“et sectis jam ad se multos attraxerunt. Intendunt autem  
“totum mundum sibi subjugare, et quod insinuatum est  
“eis divinitus, quod debent totum mundum per triginta  
“novem annos exterminare, asserentes, quod olim anim-  
“adversio divina per diluvium purgavit mundum, sic in  
“præsenti generali depopulatione, quam exercebunt,  
“mundus purgabitur. Credunt se habere et dicunt  
“durum congressum cum Romanis; appellant autem omnes  
“Latinos, Romanos; miracula formidantes, et senten-  
“tiam ultionis futuræ posse commutari. Quos si vincant,  
“toti mundo se profecto asserunt dominaturos. Satis  
“observant foedera, se sponte illis tradentibus et ser-  
“vientibus; accipientes sibi de illis electos bellatores;  
“quos semper præliaentes præponunt. Artifices varios  
“similiter sibi reservant. Insurgentibus in eos vel jugum  
“eorum spernentibus nullatenus parcunt, vel qui eos  
“expectant. Nuntios benigne admittunt, expedient, et  
“remittunt.”

In fine autem, requisitus super transmeatione marium,

vel fluminum, dixit; quod flumina transeunt in equis et  
uteribus ad hoc compositis. Et quod in tribus locis  
parant navigia supra mare. Dixit etiam, quod quidam  
de Tartaris, nomine Kalaladin, gener Chyrcan, exulatus  
est in Russcia, quia deprehensus est dixisse mendacium.  
Cui quidem ob gratiam uxoris suæ pepercerunt primates  
Tartarorum, ne occideretur.

*A Legate is sent into France to preach  
the Crusade.*

EODEMQUE anno, postquam rex Franciæ, quem Dominus quasi redivivo spiritu suscitaverat, cruce signabatur,

1245.  
R.S. IV., pp. 488-90.

eodem rege postulante, missus est a domino cante negotium crucis efficacius promoveretur.

Eodemque tempore, episcopus Beritensis de Terra Sancta, de quo mentio superius facta, concomitante quodam fratre Prædicatore A. venit in Angliam ad regem, certificans eum de lugubri casu et jactura Terræ Sanctæ. Postulavit ut liceret eis negotium crucis in regno Angliæ prædicando promovere. Quibus id potentibus, et cartam suam, quam in testimonium fidei de Terra Sancta detulerant, ostendentibus, necnon et de indulgentia quam de curia Romana detulerant, ait rex; “Etsi veraces et efficaces nuntii sitis, tamen quia totiens fefellerunt nos “a curia Romana hujus negotii executores destinati, qui “tantum pecuniæ extorquendæ intendebant, vix inveniretis “qui vobis fidem perhibeant.” Et cum ipsi prosequentes affirmarent, quod tota fere nobilitas Franciæ cruce signaretur, [ut] regem ad favorem vocarent, ait rex; “Rex “Francorum cruce signatur. Et si sui eum sequuntur, “quis admiratur? Circumvallor hostibus meis. Suspectus “est mihi rex Francorum. Suspectior rex Scotorum. “Manifeste mihi princeps Walliæ adversatur. Papa “protegit in me insurgentes. Nolo ut terra mea, militia “pecuniave vacuata, robore destituatur.” Et omni spe frustrati episcopus et prædicator a rege recesserunt.

*Many French Nobles take the Cross.*

JAM jamque, quia dominus rex Francorum dederat exemplum prævius et quasi signifer, multi de regno Francorum nobiles cruce signantur. Videlicet,

1245.

frater dicti regis Robertus comes Atrebatensis, dux Burgundiæ, dux Brabantiae, comitissa Flandriæ cum duobus filiis suis, comes Britanniæ P[etrus], comes Britanniæ filius ejus J[ohannes] comes Barrensis, comes Suessonensis, comes Sancti Pauli, comes de Druis, comes de Retel, Philippus de Curtiniaco, Gauterus de Juveni, Egidius de Mailli, advocatus Bettuniæ; multi quoque alii nobiles, quorum numerus cotidie, quia ipse jam rex vices agens prædictoris stimulavit, felix suscepit incrementum. De prælatis etiam laicis præbentes piūm incitamentum, nonnulli simili zelo provocati, crucis signaculum humeris, talionem Christo reddentes, bajulandum assumperunt; videlicet archiepiscopus Remensis, archiepiscopus Senonensis, archiepiscopus Bituricensis, episcopus Laudunensis, episcopus Belvacensis, et multi quos Christus diatim advocavit et ad suam accendit clientelam.

*The Saracens poison the Pepper sent to the Christians.*

Hæc autem audientes Sarraceni sese muniunt multiformiter, et argumenta malitiæ excogitantes, piper, quod noverant in partes Christianorum intoxicant deferendum,

unde multi partibus Franciæ, hujus ignari malitiæ, perierunt. Sed postquam comptum est, acclamatum est voce præconia in civitatibus sollempnibus, tam in Anglia quam Francia, ut hujusmodi periculum cautius vitaretur. Hæc fecerunt mercatores, ut vetus piper, diu reservatum, melius venderetur.

*Device of Louis IX. to make Crusaders.*

IMMINENTE vero præclara Dominicæ Nativitatis festivitate, qua mutatoria recentia, quæ vulgariter robas appell-

1245. lamus, magnates suis domesticis distribuere  
R.S. IV., consueverunt, rex Francorum crucis signifer  
pp. 502-3. officium prædicatoris procuratorisque negotii  
crucifixi novo modo sibi assumens, capas cum suis per-  
tinentiis de pretiosissimo panno multo plures quam  
moris habuit, cum pellibus variis imponendis, jussit  
comparari; et de subtili aurifrigio factas in locis caparum  
humeralibus cruces insui opere furtivo ac nocturno  
prudenter imperavit. Et mane cum adhuc sol nondum  
oriretur, milites capatos capis regiis jussit cum ipso rege  
missam audituros in ecclesia comparere. Quod cum  
fecissent, et mane, ne sompnolentiæ redarguerentur, in  
ecclesia missis celebrandis interessent,

Rebusque jam color reddit vultu nitentis sideris;  
et secundum illud Persii proverbium, [iv. 24.]

Melius spectatur mantica tergo,

quilibet in alterius humeris crucis insutum signaculum  
intuetur, fit jocunda admiratio; tandem comperiunt,  
quod pie sophisticatos sic decepit eos rex, novum induens  
prædicatoris officium, factus potius realis prædicator quam  
vocalis. Cumque eis indignum videretur ipsas cruces  
deponere, risum, nec tamen derisum, eum jocunda lacri-  
marum effusione facientes, regem peregrinandorum vena-  
torem et hominum novum vocaverunt piscatorem,

*The Assemblage of all the Nobles of  
England.*

CONVENIENTIBUS igitur ad parlamentum memoratum totius regni magnatibus, die videlicet qua cantatur

1246. *Lætare Jerusalem*, in primis aggressus est R.S. IV., dominus rex ore proprio episcopos per se, pp. 526-9. postea vero comites et barones, deinde autem abbates et priores, videlicet super his, pro quibus miserat nuntios suos sollempnes ad concilium Lugdunense; et quasdam indulgentias et literas Papales, præsenti libro præcedenti folio prænotatas, quas dicti nuntii reportarunt, eis ostendit, et qualiter dominus Papa dictis nuntiis pro rege et regno multa bona promisit ac præmisit. Sed quia dominus rex post indulgentias memoratas dictaque promissa magis sensit Papam, prout communiter audivit et vere postea didicit, manum aggravare, et quasi per contemptum plus solito in regnum protervire, ecclesiam opprimendo, ostendit eis articulos super gravaminibus et oppressionibus ecclesiæ et regni sui, quorum tenor talis est.

*Grievances presented to the Pope at Lyons from  
England.*

Gravatur regnum Angliæ, eo quod dominus Papa non est contentus subsidio illo quod vocatur denarius beati Petri, sed a toto clero Angliæ gravem extorquet contri-

---

butionem, et adhuc multa graviora nititur extorquere, et hoc facit sine domini regis assensu vel consensu, contra antiquas consuetudines, libertates, et regni jura, et contra appellationem et contradictionem procuratorum regis et regni, in generali concilio factam.

Item, gravatur ecclesia et regnum, eo quod patroni ecclesiarum ad eas cum vacaverint clericos idoneos præsentare non possunt, prout dominus Papa per literas suas eis concessit, sed conferuntur ecclesiæ Romanis, qui penitus idioma regni ignorant, in periculum animarum, et extra regnum pecuniam asportant, illud ultra modum depauperando.

Item, gravatur in provisionibus a domino Papa factis, in pensionibus exigendis, contra literarum suarum tenorem. In quibus continetur, quod ex omnibus retentionibus factis in Anglia non intendebat conferre nisi xii. beneficia post prædictarum confectionem literarum; sed credimus multa plura beneficia ab eodem postea esse collata, et provisiones factas.

Item, gravatur quod Ytalicus Ytalicu succedit, et quod Angli extra regnum in causis auctoritate Apostolica trahuntur, contra regni consuetudines, contra jura scripta, eo quod inter inimicos conveniri non debent; et contra indulgentias a prædecessoribus domini Papæ regi et regno Angliæ concessas.

Item, gravatur ex multiplice adventu illius infamis nuntii, *non obstante*, per quem juramenti religio, consuetudines antiquæ, scripturarum vigor, concessionum auctoritas, statuta, jura, et privilegia debilitantur et

evanescunt, quod infiniti de regno Angliæ oppressi sunt graviter et afflitti, nec se dominus Papa versus regnum Angliæ in plenitudine suæ potestatis revocanda ita curialiter vel moderate gerit, prout procuratoribus regni ore tenus dederat in promissis.

Item, gravatur in talliis generalibus, collectis, et assisis sine regis assensu et voluntate factis, contra appellationem et contradictionem procuratorum regis et universitatis Angliæ.

Item, gravatur eo quod in beneficiis Ytalicorum nec jura, nec pauperum sustentatio, nec hospitalitas, nec divini verbi prædicatio, nec ecclesiarum utilis ornatus, nec animarum cura, nec in ecclesiis divina fiunt obsequia, prout decet et moris est patriæ, sed in ædificiis suis parietes cum tectis corruunt et penitus lacerantur.

Hæc autem attendentes universi ac singuli unanimiter consenserunt, ut adhuc ob reverentiam sedis Apostolicæ domino Papæ humiliter ac devote, tam per epistolas quam per sollempnes nuntios, supplicarent, ut tam intolerabilia gravamina et jugum subtraheret importabile.

*Complaints to the King by Brabantine  
Merchants who had been robbed.*

IMMINENTE autem tempore Quadragesimali, cum dominus rex apud Wintoniam feliciter advenisset, accesserunt duo mercatores de Braibantia ad ipsum queruli  
1249. R.S. V., et dolentes. Dixeruntque domino regi lacri-  
pp. 56-60. mando et ejulando; "Domine rex pacifice et  
"juste, nos mercatores de Braibantia existentes, cum  
"per fines vestros negotiaturi, quos credebamus pacificos,  
"transiremus, irruerunt in nos immunitos quidam  
"prædones et latrones, quos adhuc facie tenus cognoscentes in curia vestra invenimus, qui violenter a  
"nobis ducentas marcas obiter abstulerunt, nequiter  
"ac latrocinaliter. Quod si renuentes præsumant infitiari,  
"paramur judicialiter duello super eos veritatem, Deo  
"judice, discutere et disrationare." Capiuntur suspecti.  
Et cum determinaretur ut a fama patriæ eorum purgatio  
dependeter, liberavit eos patriæ juramentum. Quid  
mirum? erat patria illis conformis, infecta toto latrocino.  
Instantibus autem adhuc prædictis mercatoribus et de  
manu regis pecuniam suam importune oportune postu-  
lantibus, coepit rex commoveri, et convocatis consiliariis  
suis, ait; "Quid agendum? Commoventur viscera mea  
"super istorum tribulatione." Cui illi; "Domine,  
"audivimus et novimus quod super omnes provincias  
"Angliæ habetur ista suspectior. Creberrime enim hic

“transeuntes spoliantur, vulnerantur, vinciuntur, jugulatur; unde miramur quod justitiarii vestri itinerantes, “quorum est hoc officium speciale, patriam istam tam “infamem non mundaverunt. Credimus igitur quod “inter hujus patriæ latrones, qui supra modum hic “abundant, conspirationis foedus astute nimis initum est, “ut nullus alium quomodolibet accuset, et sic tam vos “quam justitiarios vestros et alios ballivos vestros eorum “latuit conspiratio et versutia. Henricus de Mara “justitiarius vester cum sociis suis hic fuit, nec profuit. “Illi enim, quos elegerat inquisitores, latronum fuerunt “consortes et fautores. Cauta igitur agendum est, “multiformis proditorum ars ut arte decipiatur. Per has “enim partes meant et remeant, tum propter portum “propinquum, tum propter regiam istam civitatem, tum “propter nundinas, institores quamplurimi, præcipue “ultramarini. Afferunt quoque isti jam spoliati, quod “si non eis pecunia eorum, pro qua parantur duello “veritatem discutere, restituatur, a vestri regni mercatoribus in suis partibus omnia violenter reposcent, et in “eorum dampnum et vestri dedecus extorquebunt, duce “Braibantiae, cuius amicitiam desideramus, non immerito “dignante.” Fecit igitur dominus rex convocare ballivos et liberos ipsius comitatus, scilicet Suhamtoniae. Et ait illis, torvo respiciens intuitu: “Quid est quod de “vobis audio? clamor spoliatorum ascendit ad me. “Necesse habeo descendere. Non est adeo infamis “comitatus vel patria in totius Angliae latitudine, vel “tot facinoribus maculata. Ubi enim præsens sum, “in ipsa civitate vel suburbio vel in locis conterminis “fiunt deprædationes et homicidia. Nec haec mala “sufficiunt. Quin immo ab ipsis malefactoribus, exinde

“cachinnantibus et inebriatis, vina mea propria a bigis  
“captis diripiuntur, et prædæ patent ac rapinæ. Quid  
“ulterius tolerantur talia? Ad hæc et similia eradicanda  
“constitui sapientes, ut simul mecum regnum meum  
“regant et custodiant. Ego non sum nisi unus homo;  
“non volo, nec valeo totius regni sine coadjutorum  
“solatio onera supportare. Pudet et tædet de foetore  
“hujus civitatis et partium adjacentium. Natus fui in  
“hac civitate, et nunquam tantum dedecoris mihi irrogatum  
“est ut hic. Probabile est autem et credibile, immo  
“jam bene constat, vos cives et compatriotas infames  
“complices esse confederatos. Convocabo omnes Angliæ  
“comitatus, ut, vos tanquam meos proditores judicantes,  
“vestra detegant facinora, nec vobis proderunt amplius  
“astutiæ argumenta.” Hoc autem erat in aula castri  
Wintoniensis, præsente episcopo ipsius civitatis W[illelmo],  
et exclamavit rex subito et horribiliter; “Claudite  
“fores castri, claudite continuo.” Tunc autem surrexit  
episcopus et ait; “Parcatis, domine, parcatis paululum,  
“me, si placet, audientes patienter. Sunt in hoc castro  
“aliqui extranei, et viri boni, et famæ integræ, immo et  
“amici vestri, quos non vos decet includere. Solos  
“impeditis Wintonienses cum eorum consentaneis.” Et  
continuans episcopus sermonem, versa facie ad multi-  
tudinem, ait; “Ego sum pastor et pater vester spiritualis,  
“potestatem habens in vestris animabus in spiritualibus,  
“et pro parte magna in temporalibus. Excommunico  
“omnes in hac infamia et reatu conspiratores, et qui  
“de hujus rei tenore pro favore, timore, vel præmio,  
“aliquomodo veritatem requisiti palliabunt.” Electi sunt  
igitur ex ipsis Wintoniensibus et de comitatu Suhamtoniæ  
duodecim, ut jurati de furibus, quos noverant, nomina

exprimerent. Et semoti super hoc longum habuerunt tractatum. Erant autem bene custoditi, et cum post diurnam deliberationem vocati, nullam prorsus de furibus voluerunt facere mentionem; quod multum regi displicuit, sciebat enim quod aliquid de consilio latronum sciebant. Et ait rex, quasi in furore iræ conceptæ; "Arripite hos subdolos proditores, præcipitate-  
"que ipsos in carcerem inferiorem, ligatos arctissime.  
"Reticent enim et celant quæ deberent referre, ab  
"episcopo suo procul dubio excommunicati; ecce favor  
"et consensus. Eligite mihi alios duodecim de civibus  
"Wintoniæ et de comitatu Suhamtoniæ, qui nullatenus  
"veritati rebelles super requirendis mihi demonstrent  
"veritatem." Advocati igitur alii duodecim, postquam perceperunt quod primi duodecim, quia veritatem suppressivebant, incarcerated suspensi, cœperunt vehe-  
menter formidare, dicentes ad invicem. "Et nos simile  
"judicium subiemus, si de veritate requisiti quipiam  
"supprimamus." Et post longum et secretum quod simul habuerant [consilium], processerunt in medium, et resolutis linguarum vinculis multorum furta et facinora detexerunt, quorum quamplures erant de confinibus partibus, præcipue de Autona, et de libertate episcopi de Tantona. Quod audientes aliqui de civibus et multi de compatriotis, qui etiam legales et boni viri reputabantur, abundantes bonis opimis, et quos rex custodes et ballivos deputaverat custodiæ illius patriæ ut latrones comprehendenderent vel abigerent, qui equis et vestibus pretiosis, domibus et familiis et terris quinquaginta vel quater viginti libratarum gaudebant, quidam quoque de hospitio domini regis æditui et arcubalistrii, convicti, capti, et patibulis sunt suspensi. Nonnulli tamen sese

in ecclesiis receperunt, aliqui etiam subito et clam aufugerunt, nec amplius apparuerunt. Quidam vero de ipsa civitate tunc præsentes, dum regii virgatores populum, ibidem propter rei novitatem congregatum et compressum, retroire cogerent, caute se populo immiscuerunt, et subito exeuntes de castro vel non comparuerunt vel ad ecclesias proximas convolarunt. Ubi requisiti arctius, facinora inaudita in furtis et cædibus se perpetrasse cum consensu aliorum, auxilio, et consilio sunt confessi. Veruntamen capti sunt ex accusatis et manifeste convictis circiter triginta, et suspensi, et totidem vel plures incarcerati, simile judicium expectantes. Ipsi vero qui de familia regis fuerant suspendendi dixerunt apparitoribus; “Dicatis domino nostro regi, quod ipse “nostra mors est et causa mortis præcipua, qui nobis “stipendia debita per longum tempus retinuit indigentibus; “oportuit igitur nos furari vel prædari vel equos, arma, “vel vestes, quibus carere nequaquam poteramus.” Unde rex hæc audiens, confusus doluit, et ab imo longa traxit suspiria. Captus est autem inter cæteros fures detestabiles quidam, qui factus est appellator, Willelmus cognomento Papa, in rebus familiaribus abundans et omnibus bonis in domo sua communitus, ita quod dolia plena vino in cellario suo postquam captus fuit inquisito invenirentur circiter quindecim; appellavit; qui convicti statim suspensi sunt. Unus autem pugnando fecit profectum regis, et de sex furibus patriam liberavit. Sic igitur a finibus illis exturbati sunt facinorosi, qui patriam illam nequiter maculaverant; Deo ultionum Domino misericorditer sic volente. Verum Wintonia, Suhamtonia, et totus ille comitatus indelebilem infamiae notam et obprobrium inde contraxerunt. Hæc iccirco

pleniū et diffusius prosecutus sum, ut liqueat universis,  
quam infirmum sit fœdus, et quam dissipabilis sit  
malefactorum conspiratio, qui in circuitu ambulantes  
in articulo necessitatis mutuam suscitant confusionem,  
ut durior in fine conclusio sequatur ultionis.

*Walter de Brienne put to Death by the Saracens.*

ANNO quoque sub eodem, nobilis comes Gualterus, qui in Terra Sancta potens extiterat verbo et opere, [et] Joppe  
1251. et quibusdam castris maritimis et insulis quan-

R.S. V., doque potenter et prudenter praeerat, in pp. 218-21. squalore carceris Sarracenorum et arctissimis vinculis tenebatur compeditus. Oderant enim eum infideles, quia ipsos frequenter et multum, dum liber extitit, dampnificaverat. Nec erat eo clarior, vel armis potentior, vel moribus acceptior in tota Terra Sancta. Fame igitur et siti ad arbitrium hostium suorum attenuatus, et flagris frequenter attritus, morti jam proximus videbatur, ita ut ei jam solum supererat sepulchrum. Nullo nempe genere tormentorum poterant ipsum infideles vel ad apostasiam vel ad eorum flectere voluntatem. Initio igitur inter ipsos consilio productus est in medium, et sic a Soldano Babiloniæ affatus, ut circumventus Joppen eis restitueret, in cuius custodia suos fideles posuerat strenuos nimis, pro sui liberatione, blanditiis, minis, et amplis promissionibus est appetitus ; "O comes invictissime, multa mihi "dampna irrestaurabilia crebrius intulisti, quapropter "multis mortibus puniri meruisti. Veruntamen in hoc tibi "poteris adhuc vitam restaurare, et restauratam conservare, "necnon et multis honorari donativis, si Joppen, cui quan- "doque præfuisti et custodiā fidam imposuisti, scilicet

“tuos fideles, quorum non possumus enervare constantiam,  
“nobis restituas. Tu quoque adduceris ad portam civitatis,  
“ut hanc conditionem, tuam scilicet liberationem et omnium  
“civium, inclusis manifestes.” Quod cum comes annuisset,  
productus est ante portam civitatis memoratae, Sarracen-  
orum milite circumseptus, ut diceret et palam proponeret  
prælibata. Quem cum aspicerent cives, vix ipsum cog-  
noverunt marcidum et macilentum; et dixit comes prius  
ipsis qui eum tenebant, “Liceat mihi concepta verba usque  
“ad consummationem proponere, dicimus enim vulgariter,  
“quod ultimum verbum totam concludit parabolam.”  
Quod cum ei concederetur, nitebatur comes distinete et  
aperte et voce audibili hæc verba articulatim pronuntiare  
suis militibus supra portam constitutis; “O milites strenu-  
“issimi Christianissimique ac devoti, videtis corpusculum  
“meum sic exhaustum, ut sola voce ac sermo[ne] a vobis  
“jam debeam cognosci. Mors mihi sub barrata est, et  
“corpus exanime vitales auras vix exhaerit. Nihil pro me  
“penitus reddatis vel concedatis. Ut quid redimeretur  
“cadaver semivivum? et si redimerer, nunquam tamen  
“respirarem. Adjuro igitur vos per aspersionem sanguinis  
“Christi, qui in hac terra pro redemptione totius mundi  
“effusus est, ut nunquam infidelibus his canibus, qui hanc  
“civitatem sitienter in confusione totius Christianitatis  
“cupiunt, vel castrum vel civitatem reddatis, quia certe  
“nec vobis parcent cum reddideritis, [nec] vobis succur-  
“rent in proximo peregrini et incolæ, qui parantur in  
“succursum.” Quod cum audissent Saraceni, capulis  
gladiorum suorum, quos strictos tenebant, os magnifici  
comitis usque ad sanguinis effusionem copiosam et dentium  
excussionem tudentes, reduxerunt pœnis exquisitis interi-  
endum. Quæ omnia comes Gualterus exemplo principis

Antiocheni consanguinei sui viriliter toleravit ; de quo quia mentio facta est, libet mortis suæ historiam sub succincta brevitate huic libello sub literis commendare.

*Story of the Murder of the Prince of Antioch by Saladin.*

Quando Saladinus contra regem Ricardum in Terra Sancta per guerram decertaverat, captus fuit princeps Antiochiæ, et in carcere Saladinii inhumane nimis tractatus, duris ac diris vinculis mancipatus, fame ac siti maceratus, ita ut jam emarcuerat. Jussit igitur una dierum Saladinus ipsum sisti in præsentia sua, et factum est ita. Intuitus igitur eum Saladinus torvo vultu, ait, “ Sic te Deus tuus adjuvet, dic mihi verum ; si me sic “ teneres ut te teneo, quid de me faceres ? ” Cui princeps imperterritus alacriter respondit, “ Sic mihi Deus consulat, “ illico decapitar[er]is. Sed quia rex est, licet incredulus, “ ne ab aliquo vulgari percutereris, ego ipse te’decollarem.” Cui Saladinus ; “ Os tuum tibi tuum dictavit sententiam.” Et postulato gladio suo, dixit, “ Et ego te incontinenti “ decollabo.” At princeps, ut erat manibus a tergo ligatis, præsiliit lætus ac ridens ante ipsum approprians, protendens caput et extendens collum, ut promptius manui percussori, aptaretur, et dixit hæc ultima verba ; “ Cape cane, hoc “ meum caput ; turpe, hirsutum, et barbatum, cum facie “ marcida et auribus lutulentis, parum, immo nihil valet ; “ nil amplius asportabis, Deo autem animam commendo.” Saladinus igitur uno levi ictu gloriosum Dei martyrem decapitavit, et ait ; “ O pertinax, nec adhuc moriens vinceris.” Iste princeps martyr gloriosus consanguineus fuit comitis Gualteri de quo sermo prælibatur ; quos com-

martyres credimus conregnare. Hæc qui præsens fuit et oculis propriis conspexit, de principe scilicet Antiocheno, magister Ranulphus cognomento Besace, qui tunc fuit phisicus regis Ricardi, postea vero canonicus ecclesiæ Sancti Pauli, mihi fida patefecit relatione. Missus enim erat ad ipsum Salahadinum pro liberatione ejusdem principis, sed minime profecit.

*Henry III. keeps Christmas at York for the  
Marriage of his Daughter Margaret to  
Alexander III. of Scotland.*

ANNO DOMINI MCCLII., qui est annus regni domini regis H[enrici] tertii trigesimus quintus, fuit idem

1252. dominus rex ad Natale Domini apud Ebora-

R.S. V., cum, ut filia sua Margareta, aetate jam[ ],

pp. 266-70. pp. 266-70. Alexandro regi Scotiæ matrimonio copula-

retur, et nuptiæ, ut inter tantas personas decuit, celebra-

rentur. Convenerat autem ibidem utriusque regni tam cleri quam militiæ multitudo numerosa nimis, ut tam

magnarum nuptiarum serenitas laetus et latitus choruscaret.

Affuerunt enim ibi dominus rex Angliæ et re-

gina cum suis magnatibus, quos perlongum esset nomi-

natum dinumerare. Fuerunt insuper ibidem rex Scotiæ et regina mater ejus, ob hoc vocata ex partibus trans-

marinis, quam non tantum Scotiæ, sed multi Franciæ,

unde oriunda fuit, nobiles, quos secum adduxerat,

sequebantur. Ipsa enim, ut moris viduarum, partem proventuum regni Scotiæ tertiam sortita, quæ ad quatuor

milia marcarum et amplius ascendit, præter alias posses-

siones quas de dono patris sui Engelrami receperat,

cum pomposo comitatu et numero fastigiose nimis in-

cedebat. Cum autem Eboracum pervenissent universi,

ipsi qui cum rege Scotorum venerant in una strata sine

aliorum intermixtione ad cautelam hospitabantur. Et

dum quidam magnatum æditui, quos marescallos appellamus, dominis suis hospitia providerent, discordes pugnas cum pugnis, postea cum clavis, demum cum gladiis inierunt. Et aliqui eorum graviter vulnerabantur; unus occubuit interfectus, alii sauciati nunquam postea convaluerunt. Reges autem per custodes, quos ibidem habuerunt, discretos et modestos, tam dominorum quam ministrorum contentiones prudenter compescuerunt. Archiepiscopales insuper, ne penuria hospitiorum lites suscitaret, omnibus, licet numerum excedeant, competenter secundum id temporis receptacula providerunt.

Die igitur Natalis Domini, dominus rex Angliæ baltheo apud Eboracum donavit militari regem Scotiæ, et cum eo tirones fecit viginti, qui omnes vestibus pretiosis et excogitatis, sicut in tam celebri tirocinio decuit, ornabantur.

In crastino autem Natalis Domini, videlicet in die Sancti Stephani, rex Scotiæ filiam domini regis Angliæ desponsavit. Et quia catervatim ac glomeratim sese inordinate populi ruentes comprimebant, ut interessent et viderent talium nuptiarum sollempnitatem, secreto et ante expectatum matrimonii sollempnitas summo mane est peracta. Erant nempe ibidem tot populorum diversitates, tot nobilium Anglorum, Francorum, Scotorum multitudines copiosæ, militum quoque tot turbæ numerosæ lascivis vestibus adornatæ, sericis et transformatis ornamentis superbientes, ut illa sœcularis et lasciva vanitas, si ad plenum describeretur, in auribus audientium admirationem et tedium generaret. Mille enim milites et amplius vestiti serico et, ut vulgariter

loquamur, cointises, in nuptiis ex parte regis Anglorum ibidem apparuerunt. Et in crastino omnibus illis abjectis, in novis robis sese curiae repræsentarunt. Ex parte vero regis Scottiæ, sexaginta et amplius satis decenter milites et multi militibus equipollentes ibidem adornati aspectibus univers[it]atis sese ingerebant.

*The King of Scotland does Homage for Lothian.*

Fecit igitur rex Scottiæ regi Anglorum homagium ratione tenementi, quod tenet de domino rege Anglorum, de regno scilicet Angliæ, Laudiano videlicet et terris reliquis. Et cum super hoc conveniretur rex Scottiæ, ut ratione regni Scottiæ faceret homagium et fidelitatem cum ligantia domino suo regi Anglorum, sicut fecerunt prædecessores sui regibus Anglorum, prout evidenter in cronicis locis multis scribitur, respondit rex Scottiæ, quod pacifice illuc venerat et pro honore regis Angliæ et per ejus mandatum, ut videlicet mediante copula matrimoniali ipsi confœderaretur, et non ut ipsi de tam ardua quæstione responderet. Non enim habuerat super hoc cum suis primatibus plenam deliberationem aut consilium competens, prout tam arduum negotium exigebat. Dominus autem rex cum hæc audisset, noluit tam serenum festum aliqua perturbatione obnubilare, et tam juvenem regem èt juniorem sponsum molestare, maxime cum venisset, ut cum summo gaudio filiam suam vocatus desponsaret; sed ad tempus omnia sub silentio præteriens dissimulavit.

*Roger Bigod, as Marshal, demands the Palfrey  
of the King of Scotland.*

In hoc autem tirocinio et nuptiis, comes Marescallus jus suum et avitam sibi consuetudinem instanter fieri flagitavit, scilicet palefridum regis Scottiæ, quem pro jure vendicavit sibi stratum exhiberi, non pro pretio vel concupiscentia, sed pro antiqua consuetudine in casibus consimilibus, ne in suo tempore pro sua desidia deperiret. Cui responsum fuit, quod rex Scottiæ tali non subjacet exactioni, quia, si placeret ei, potuit ipsa arma suspicere a quovis principe catholico vel ab aliquo nobilium suorum; sed ob reverentiam et honorem tanti principis, domini et vicini sui, ac socii tanti, maluit ab ipso rege Angliæ cingulo donari militari quam ab aliquo alio. Et sic præcipiente domino rege, ut totum de festo, omnimoda lis conquievit.

*The Splendour and Extravagance of the Marriage  
Banquets.*

Convivantes igitur gratanter reges et eorum magnates et familiæ, dies Natalitios cum summo gaudio deducebant. In quo si epularum abundantem diversitatem, vestium transformatarum varietatem, joculatorum applaudentium voluptatem, commensalium numerositatem, plenius explanarem, in absentium cordibus et auribus hyperbolica narratio generaret ironiam. Sed ut de uno cætera per comparationem aptabilem intelligentur, ex dono archiepiscopi in ipso convivio plusquam sexaginta boves pascuales unum ferculum primitivum et generale perfecerunt. Coepulabantur ad invicem nunc omnes cum isto, nunc cum

rege altero, certatim voluptuosa prandia copiose convivis præparantes, ut mundi vanitas theatalis quicquid potuit de brevi ac transitoria sua lætitia mortalibus ostentaret. Cum archiepiscopo, qui quasi princeps fuerat Borealis et serenus hospes omnium, aliquot diebus prandebant universi; et in omni defectu et necessitate cunctis sinum auxilii patefecit; nunc in vagorum hospitiis, nunc in equorum pascuis, nunc in vasis diversis, nunc in ignium fomentis, nunc pecuniæ dono, nunc omnium potenter supplevit necessitates, ita quod illo Domini adventu in donis auri et argenti ac serici quatuor milium marcarum, quæ nunquam postea messuit, in sterili litore seminavit. Hæc autem pro tempore facere oportuit, ut famæ integritas conservaretur, et *os loquentium iniqua obturaretur.*

*The Feast of St. Edward kept at Westminster.*

Et dum hæc in partibus Borealibus Angliæ magnifice peragerentur, domino rege procurante, qui non immemor sancti Edwardi esse sustinuit, dominus episcopus Elyensis, et Westmonasterii et Waltham abbates, in loco domini regis Londoniis, scilicet apud Westmonasterium, de mandato ipsius regis, festum sancti Ædwardi magnifice tam in ecclesiæ sollempnitatibus quam in palatii conviviis grataanter peregerunt.

*Accusation of Simon de Montfort by the Gascons.*

ANNO quoque sub eodem, dum comes Legrecestriæ Symon in Anglia moram faceret, licet brevem, Wasconenses,

1252. R.S. V., pp 276-8. recalcitrantes et a pactis initis resilientes, belum contra regem moverunt, et quos comes suo loco posuerat, ut sua castra salvo custodirent cum possessionibus, protervius infestarunt; significantes domino regi quod comes memoratus proditor fuit nequissimus, coacervans infinitam pecuniam quam a nobilibus et civibus et plebeis nulli parcens extorsit, dicens quod rex indigens et peregrinaturus omnia foret recepturus, quæ tamen omnia sibimet usurpavit. Præterea addiderunt, ipsum graviter accusantes, quod nobiles Wasconiae vocavit ad suum consilium pacifice, qui regi fuerant subjecti fidelissimi; et convocatos, quasi Synon et non Symon, in dolo retinuit, incarcерavit, et nequier fame interemit. Unde regi nimis suspectum talibus sibilis comitem reddiderunt. Rex igitur fluctuans sub incertitudine in Wasconiam clam et subito Henricum de Wengham clericum suum, virum subtilem et circumspectum, ad inquisitionem diligentem faciendum super præmissis, ut infallibiliter certificaretur, destinavit; sicut olim miserat Galfridum de Langeleia, ut super factis Roberti Passeelewe suspecti inquirendo abscondita rimaretur, et "nodum quærens in scirpo" et angulum in circulo,

perplexa denodaret; sed uterque perscrutator defecit perscrutans scrutinio. Comes autem ut hæc audivit, iratus est valde causa duplicata, et coram rege suam allegans innocentiam, ait; “Quid est, domine mi rex, quod aurem “et cor mandatis proditorum tuorum inclinando, plus eis de “proditione sæpe convictis quam mihi fideli tuo credis, et “super factis meis facis inquisitionem?” Cui rex æquani-  
mior effectus respondit; “Si omnia clara sunt, quid  
“nocebit tibi inquisitio? immo potius fama tua clarifi-  
“cabitur.” Comiti igitur humiliato et redire in Wasconiam parato dedit rex et accommodavit pecuniæ partem non minimam supplicanti. Festinanter igitur comes transfretavit, animum non habens penitus serenatum. Proposuit enim de tantarum accusationum injuriis condignam vindictam adipisci. Conflans igitur copiosum exercitum de Francorum militibus et servientibus stipendiariis, regem Navariæ, et comitem Bigorriæ, et multos alios, in exterminium adversariorum suorum, seipsum insuperabiliter roboravit, et superbiam edomuit Wasconensium, adeo quod nisi Anglia utilis eis [esset] ad vina sua vendenda, omnes a fidelitate regis Anglorum recessissent et alium sibi dominum adquisissent. Et quia ad Hispaniam modo habent Wasconenses refugium ad vina sua vendenda, quibus solis subsidiis recreantur, videlicet ad Cordubam, Sibillam, Valentiam magnam, quæ modo cultui subjacent Christiano, formidatur, ne relictis partibus Anglicanis, in quibus tot vexantur angustiis et injuriis, maxime per regias exactiones, ad partes de cætero se transferant ulteriores. Hæc iccirco huic paginæ duximus propensius inserenda, quia de toto nobili regno Angliæ, quæ de partibus sibi subjectis consuevit gloriari transmarinis et nunc per ignaviam et falsitatem regum Angliæ abbre-

viatur mutilata, vix Wasconia vacillans, quam rex Francorum contempnit, Anglis remanet inclinata, quam si penitus amiserint, prout a Wasconensibus palam promittitur, nunquam futuris temporibus in terris transmarinis anchoræ figentur cismarinæ.

*Round Table at Walden.*

ANNO quoque sub eodem, milites ut exercitio militari peritiam suam et strenuitatem experientur, constituerunt

1252. non ut in hastiludio quod vulgariter torneamen-

R.S. V., mentum dicitur, sed potius in illo ludo militari

pp. 318-20. qui mensa rotunda dicitur, vires suas attemp-

tarent. Congregati sunt igitur in multitudine gravi tam Norenses quam Australes et nonnulli de partibus transmarinis juxta abbatiam de Waledene, in octavis Nativitatis beatæ Virginis. Et secundum quod constitutum est in illo ludo martio, illa die et in crastino, quidam milites Anglii strenue nimis et delectabiliter, ita ut omnes alienigenæ ibidem præsentes admirarentur, jocabantur. Quarta vero die sequenti, duo milites electissimi, Ernaldus videlicet de Munteinni et Rogerus de Lemburne, dum equestri more omnimodis armis redimiti, dextrarios incidentes præelectos, sese obviam cum lanceis mutuo impeterent, Rogerus suam aptans lanceam, cuius muero, prout deberet, non fuerat hebetatus, sub galea Ernaldi, guttus ejus cum trachea præcedit et arteriis; erat enim ea parte discoopertus et carens collario. Letaliter igitur vulneratum, ab equo in terram dans præcipitem, doluit valde Rogerus, prout videbatur. Saucius autem confestim expiravit. Et quia imperfectus in armis strenuissimus sibi comparem vel secundum in Anglia non reliquit, factus est inter milites ibidem congregatos planctus et ululatus incomparabilis. Et sic qui cum gaudio ad-

venerant, cum tristitia et lamentatione subito sunt divisi. Corpus autem in abbatia vicina, scilicet de Waledene, cum multo lacrimarum profluvio honorifice nimis est tumulatum, dum adhuc nobiles recessuri præsentes extiterunt. Nullus autem militum tantum planxit mortem defuncti, sicut auctor ipsius mortis, videlicet Rogerus memoratus, qui confestim pro liberatione animæ ejus cruce se signavit peregrinaturus. Cum igitur constitisset ipsum, ignarum et invitum Ernaldum letaliter sauciasse, non est de funere accusatus vel redargutus. Extiterant autem in illa militari congregatiōne multi Angliae nobiles, vide-licet comes Gloverniæ, qui illico percusso dicto milite fragmentum lanceæ de gutture saucii extrahere nitebatur, et ligno potenter eruto ferrum remansit in vulnere; quod tamen excisum, cum a militibus consideraretur, inventum est in mucrone acutissimum, instar pugionis, cultellinam habens latitudinem, quod esse debuit et decuit fuisse hebes, et brevem formam habens vomeris, unde vulgariter vomerulus appellatur, Gallice vero soket. Per quod argumentum Rogerus, licet se insontem prætendisset, factus est suspectus, et quod proditiose facinus perpetrasset acriter reprehensus; maxime cum dictus Ernaldus in alio hastiludio crus Rogeri confregisset. Sed hæc noverat Deus solus cordium perscrutator.

“Laudis amatores mundanos propter honores  
“Sic prosternuntur, sic prostrati moriuntur.”

*Henry III. at St. Albans, August 23.*

Anni quoque sub ejusdem circulo, vigilia scilicet beati Bartholomæi, venit dominus rex ad Sanctum Albanum. Et illico devote accedens ad majus altare, cum orasset, ut

de more consuevit, optulit martiri unam pallam pretiosam et duo monilia et duos anulos aureos et duodecim talenta. Et assignavit ea specialiter ad ornatum feretri. Eademque die Edwardus filius ejus optulit eidem altari unam pallam, et altari sancti Amphibali aliam et duo monilia, quæ præcepit rex in crastino vendi, similiter et alia, et eorum pretio feretrum cooperiri. Dominus autem rex ibidem moram quinque diebus continuavit, sicut pridem fecerat ad Pascha, anno proximo post obsidionem Bedefordiæ,

*Exactions of the King from the Londoners.*

EODEMQUE tempore, scilicet infra primam Quadragesimæ quindenam, rex levi occasione a civibus Londoniensibus,

1253.  
R.S. V., antiquam libertatem barones consuevimus ap-  
pp. 367-8. pellare, ad mille marcarum contributionem sunt compulsi. Et eodem tempore juvenes Londonienses, statuto pavone pro bravio, ad stadium quod quintena vulgariter dicitur, vires proprias et equorum cursus sunt experti. Quidam autem aeditui et tirones de familia regis, qui tunc fuit apud Westmonasterium, super hoc indigantes, conviciabantur eisdem, vocantesque rusticos furfureos ipsos et saponarios, se eis opposuerunt in certamine, quos ipsi Londonienses alacriter exceperunt, et cum fragmentis hastarum in tantum *supra dorsa eorum fabricarunt*, ut rubricatos et liventes ab eorum equis omnes regales dederent præcipites vel fugarent fugientes. Queruli igitur ad regem connexis digitis et abortis lacrimis pervenerunt, rogitantes, ut tantum excessum non relinqueret impunitum. Rex igitur, ad solita ultiōnis genera convertens, magnam a civibus summam extorsit pecunialem.

*The Visit of Henry III. to Louis IX. at Paris.*

DIEBUS quoque sub eisdem, quia a multo tempore dominus rex Anglorum videre sitienter desideraverat regnum Fran-

corum et dominum regem sororium suum

<sup>1254.</sup> R.S. V., pp. 475-83. et dominam reginam Francorum, sororem dominæ reginæ Angliæ et civitates, ecclesias, et gestus et habitus Francorum, et capellam regis Francorum nobilissimam, quæ est Parisius, simul cum incomparabilibus, quæ in eis habentur, reliquiis, cum missis ad regem Francorum nuntiis solemnis licentiam benignam et securam impetrasset, convocata familia et comitatu nobilissimo, versus Aurelianem lora direxit.

*Orders of Louis IX. for his Reception.*

Piissimus rex Francorum jussit districte magnatibus terræ suæ et civibus civitatum, per quas dominus rex Anglorum foret transiturus, ut deposito luto, stipitibus, et omni visus offendiculo, ornare studerent omnia pallis, frondibus, floribus, et aliis quibus poterant ornamentis, et ut facies ecclesiarum et domorum redimirent; et cum canticis, et classico, cereis, et festivis induviis reverenter et gaudenter reciperent, venienti obviantes et moranti obsequentes.

*The Two Kings meet at Chartres.*

Dominus autem rex Francorum, certificatus de adventu domini regis Anglorum, ocurrerebat ei apud Carnotum. Et videns unus alterum, ruit in oscula, et amplexibus

et mutuis salutationibus et colloquiis affabilibus sese ad invicem confovebant. Jussitque dominus rex Francorum procurationes opimas et lautas domino regi Angliæ de suis sumptibus liberaliter, dum esset in regno suo, exhiberi. Quod dominus rex Angliæ in parte accepit et acceptavit. Habuit in comitatu suo proprio mille equos pulcherrimos cum suis honorabilibus assessoribus, exceptis bigis et summariiis, cum equis electis, quorum multitudo erat inæstimabilis, adeo ut Franci de novitate non prævisa obstupuerunt. Eorum insuper comitatus in immensum tota die et cotidie, sicut solet fluvius de torrentibus, mirabile cepit incrementum. Advenerunt enim eis obviam regina Francorum cum sororibus suis Andegaviæ et Provinciæ comitissis, ut sororibus suis, reginæ Angliæ et comitissæ Cornubiæ, simul cum domino rege Angliæ occursarent, et sese mutuis salutationibus et colloquiis familiaribus gratulantes confoverent et consolarentur. Fuerat autem mater ejus præsens, comitissa vero dicta Provinciæ, nomine Beatrix, quæ pignora sua, quasi altera Niobe, gloriando poterat intueri. Nec erat in sexu muliebri mater in mundo, quæ de tali fructu ventris ac tanto, videlicet filiabus, poterat gloriando gratulari.

*Preparations for their Reception by the English  
Scholars at Paris.*

Scolares autem Parisienses, maxime Anglicæ nationis, certificati de adventu talium regum et reginarum ac magnatum incomparabilium, suspensi ad horam lectionibus et disputationibus, quia totum erat de festo, abbreviatis communionibus hebdomadalibus, cereos emerunt, vestesque festivas, quas vulgus *cointisas* appellant, et omnia quae

gaudium poterant attestari emerunt et sibi præparabant; cantantes ramigeri et florigeri cum sertis et coronis et musicis instrumentis processerunt venientibus obviam; et erat numerus adventantium et obviantium infinitus. Nec est visum in Francia retroactis temporibus tale festum, vel occursantium tanta talisve solempnis occursatio. Et transegerunt totum diem illum et noctem et diem crastinum scolares et cives, tota civitate mirabiliter adornata, in gaudio et canticis luminaribus, floribus et omnimodis hujus mundi pompis et exultationibus.

*Henry III. chooses the Old Temple for his Residence in Paris.*

Cum autem reges et qui eis assistebant et comitabantur, qui jam numerosus exercitus poterat aestimari, venirent Parisius, et occurseret advenientibus talis ac tanta Parisiacæ universitatis nobilitas, gavisus est rex Francorum quamplurimum, et grates retulit clericis de multiplici honoris impensione. Et ait dominus rex Francorum domino regi Angliæ; “Amice, ecce civitas Parisiaca tibi exponitur, ubinam libet hospitium capessere? Ecce palatum meum in medio civitatis; si placet ibidem quiescere, fiat voluntas tua; si autem apud Vetus Templum, quod extra civitatem, ubi locus spatiösior est, vel alibi, ubi magis vobis complacuerit, fiat.” Et elegit dominus rex Angliæ pro hospitio Vetus Templum, quia numerosus erat ejus comitatus, et in eodem Veteri Templo aedificia sunt cuidam numero exercitui sufficientia ac competentia; quia cum Templarii omnes cismontani temporibus ac terminis suis ad generale eorum capitulum conveniunt, hospitia ibidem inveniunt competentia. Oportet enim quod in una curia quiescant, quia de nocte

sua contrectant in capitulo negotia. Et cum ibidem hospitia tot essent infra curiam, tamen comitatus adeo fuerat numerosus, ut sub divo dormire multi cogerentur, non sufficientibus etiam vicinis domibus versus plateam quæ Greva appellatur inhabitatis. Et equi extra tecta in locis, qui ad hoc aptiores videbantur, ab stabulis collocabantur.

*He gives a Good Meal to the Poor.*

Rex igitur Angliæ, cum elegisset Vetus Templum pro hospitio, præcepit ut in crastino summo mane omnes domus ejusdem curiæ, scilicet Veteris Templi, pauperibus replerentur reficiendis. Quorum singuli, licet eorum numerus esset infinitus, carnibus ac piscibus cum pane et vino abundanter sunt refecti.

*He visits the Sainte-Chapelle, and other Places.*

Et dum in crastino hora prima et tertia pauperes reficerentur, dominus rex Angliæ, rege Francorum ducente, visitavit capellam illam, pulcherrimam, quæ in curia est ejusdem domini regis Francorum, et reliquias ibidem existentes orans regalibus oblationibus honoravit. Similiter et alia loca civitatis honorabilia cum veneratione et oblationibus devote oratus visitavit.

*The Kings dine together in Public.*

Eademque die, dominus rex Francorum, sicut præconcesserat, epulabatur cum domino rege Anglorum apud dictum Vetus Templum, in majori regia Templi, cum numerosa utrius regis familia. Et erant omnes domus curiæ refertæ convivantibus. Nec erat in majori janua vel aliquo introitu epulantium janitor vel exactor, sed omnibus adventantibus patuit ingressus ultroneus, et

dabatur lauta refectio; ferculorum autem multimoda genera tedium comedentibus potuit suscitare. Et post prandium, transmisit dominus rex Angliæ magnatibus ad hospitia sua Francigenis nobiles cuppas argenteas, firmacula aurea, cingula serica, et alia donativa, prout decuit tantum regem dare et tales primates gratanter recipere.

*The Splendour of the Banquet.*

Nec erat unquam aliquo tempore retroactis temporibus tam nobile, tam celebre, vel tempore Assueri, Arthuri, vel Karoli, celebratum convivium. Ibi enim splenduit dapium fertilis varietas, potuum deliciosa fecunditas, ministrantium faceta sedulitas, convivantium ordinata dispositio, munerum larga affluentia. Ibi erant personæ venerabiles, quibus non erant majores in mundo, immo nec pares eis poterant inveniri.

*The Order of the Banquet.*

Epulabantur autem in majori regia Templi, ubi videlicet pendent clipei quotquot possunt circumquaque in quatuor parietibus, secundum consuetudinem ultramarinam; inter quos apparuit clipeus Ricardi regis Angliæ. De quo quidam joculator ait domino re[gi] An]gliæ; “Domine “mi, ut quid invitasti Francos, ut in hac domo tecum “gaudentes epularentur? Ecce hic clipeus magnanimi “regis Anglorum Ricardi; non poterunt comedere, nisi “paventes et tremebundi.” Sed de hoc non amplius.

Comederunt igitur sic ordinati. Dominus rex Francorum, qui terrestrial rex regum est, tum propter ejus cælestem inunctionem, tum propter sui potestatem et militiæ eminentiam; et dominus rex Angliæ a dextris, et dominus rex Navariæ a sinistris. Et cum niteretur

dominus rex Francorum, aliter ordinare, ut videlicet dominus rex Anglorum sedens in medio et eminentiori loco sederet, ait dominus rex Angliae; "Non, domine mi "rex, decentius sedetis modo, scilicet in medio, et dignius; "dominus enim meus [es] et eris, et suberat causa." Cui pius rex Francorum subjunxit, sed voce demissa; "Utis "nam quilibet jus suum optineret inoffensus; sed hoc "non pateretur Francorum superbia." Sed de hoc non amplius. Deinde duces consedere secundum eorum dignitates et eminentias; et erant ibidem tunc xxv., qui sedebant eminentius, ipsis ducibus intermixti tamen. Affuerunt insuper illi convivio episcopi duodecim, qui aliquibus ducibus præponebantur, intermixti tamen baronibus. Militum autem præclarorum numerus non aestimabatur. Comitissæ vero xviii., quarum tres erant sorores duarum prædictarum reginarum, videlicet comitissa Cornubiæ, comitissa Andegaviæ, et comitissa Provinciæ, cum comitissa Beatrice matre earundem, quae reginis fuerant comparabiles. Post vero refectionem lautam valde et splendidam, licet esset dies ad piscem, hospitatus est in nocte illa in majori domini regis Francorum palatio, quod est in medio civitatis Parisiacæ. Sic enim immutabiliter voluit dominus rex Francorum, jocose dicens; "Sine modo. "Sic enim debet omnem adimplere facetiam et justitiam." Et addidit ridendo: "Dominus et rex sum in regno meo, "volo prædominari." Et adquievit rex Angliae.

### *Henry III. visits the Chief Places of Paris.*

Et cum pertransisset dominus rex Angliae vicum, qui dicitur Greva, et postea vicum versus Sanctum Germanum Autissiodoreensem, postea magnum pontem, consideravit elegantiam domorum, quae de gipso, videlicet plastro,

fiunt in civitate Parisiaca, et mansiones tricameratas, et quatuor etiam stationum, vel amplius, a quarum fenestris projacebant utriusque sexus hominum infinita multitudo. Et catervatim conglomerabantur turbæ compressæ ruentes certatim, ut viderent regem Angliæ Parisius. Et splenduit fama ejus, quam sustulerunt Franci ad sidera, tum propter largitatem munerum suorum, tum propter dapsilitatem illius diei et copiosam elemosinam, tum propter comitatum suum præelectum, tum propter hoc quod dominus rex Francorum habuit unam sororem, rex Angliæ aliam, matrimonialiter sibi copulatam. Et fuerunt reges Francorum et Angliæ simul sese diu desideratis colloquiis recreantes per octo dies. Dixit enim pius rex Francorum ; “ Nonne duas sorores despensavimus, et “ fratres nostri reliquas ? Omnes quotquot ex illis ortum “ sunt producturæ vel producendæ, vel producturi vel “ producendi, tanquam fratres erunt et sorores. O si esset “ inter pauperes talis affinitas vel consanguinitas quantum “ mutuo sese diligenter, quam præcordialiter confœdera-“ rentur ! Doleo, novit Deus, quod per omnia nequit “ caritas nostra compaginari ; sed baronagii pertinacia “ voluntati meæ se non inclinat. Dicit enim, quod Nor-“ manni nescirent suas metas vel limites inviolatas vel “ inviolatos pacifice observare ; et sic jura tua non “ prævales reaccipere.” Sed de hoc non amplius. Domi-  
nus rex Angliæ quando recessit a præsentia dicti regis Francorum, qui eum produxit per unam dietam, certa ratione compertum est eum exposuisse in expensis Parisius mille libras argenti, exceptis donativis impreiabilibus, sumptis de thesauro suo, multum inde mutilato. Veruntamen honor domini regis Anglorum omniumque Anglicorum non mediocriter est exaltatus et multipliciter aumentatus.

*Conversation between the Kings.*

Una vera dierum, dum confabularentur reges, dixit dominus rex Francorum domino regi Anglorum: "Amice, "quoniam dulcia faucibus eloquia tua meis. Jocundemur confabulando. Nunquam forte alia vice in posterum mutuis colloquiis potiemur." Addiditque dicens; "Amice mi rex, quantam et qualem pro amore Christi peregrinus corporis et animæ passus sum amaritudinem, non est facile demonstrare. Et omnia mihi evenerunt adversa; "grates Tibi refiero, Altissime. Reversus autem ad meipsum et ad cor meum regressus et ingressus, plus gaudeo de patientia, quam mihi Dominus per sui gratiam concessit, quam si totus mihi mundus subderetur."

*The Kings part.*

Cum autem progressi fuissent reges per circiter unam dietam, recesserunt ab invicem. Et secus viam diverentes paululum, dixerunt verba secreta et amicabilia. Et suspirans rex Francorum, ait; "O utinam duodecim pares Franciae et baronagium mihi consentirent; certe amici essemus indissolubiles. Discordia nostra fomentum præstat debacchandi Romanis, et materiam superbiendi." Et datis osculis ad invicem cum amplexibus, recesserunt ab invicem, rex Francorum in terram suam et rex Angliae versus terram suam. Et cum rex Angliae pervenisset ad mare nec haberet ventum prosperum, invitus expectavit; *mare enim et venti non obediebant ei.* Interim visitavit ecclesiam Sanctæ Mariæ de Bolonia, propter reliquias; ubi obiit Petrus Chacepore Pictavensis natione, specialis domini regis clericus et consiliarius et reginæ thesaurarius, bono fine vitam terminando.

## NOTES

P. 10, *domni Willelmi electi Valentiae*—i.e., Bishop-Elect of Valence.

*comitis quoque Campaniae, regis Angliae consanguinei.* A marginal addition. Theobald IV. was Count of Champagne and King of Navarre. Matthew Paris must have for the moment forgotten their identity, for in the next line he mentions “*rex Navarriæ*” as a distinct person.

P. 10, *in portu Santwici*—i.e., Witsand (Wissant).

P. 11, *die sanctorum Fabiani et Sebastiani*—i.e., January 20.

P. 15, *Cum furor in cursu est, currenti cede furori*, Ovid, “*Remedium Amoris*,” i. 119.

*factus sicut homo non audiens . . . redargutiones*, Ps. xxxvii. 15.

P. 16, *eripere . . . arripere.* Unclassical use of the infinitive to express purpose; frequent in mediæval Latin.

P. 19, *construxere mansiones . . . allitudines.* This passage shows the jealousy of the monks towards the Friars; the statement respecting the Friars’ houses in England in the former half of the thirteenth century is not borne out by the facts (*cf.* A. G. Little, “Studies in English Franciscan History,” p. 65).

*in causa ecclesiæ de Scardeburc.* The Friars came to Scarborough about 1239 with the support of Henry III. The church of Scarborough had been appropriated by Richard I. to the Cistercians to pay the expenses of their general chapters, and the monks appealed to Rome against the intruders. The Friars had to withdraw, though some years later they returned.

*Nigros (monachos)*—i.e., the Benedictines.

P. 21, *Bathatarcan Ornachi.* Perhaps *contra* should be inserted. Ornachi is probably the same as Ernac in a preceding sentence.

P. 28, *die . . . Lætare Jerusalem*, March 18.

P. 33, *animabus.* Form used for ablative of *anima*, to distinguish it from the ablative of *animus*.

P. 37, *Babiloniæ*, the Egyptian Babylon—i.e., Cairo.

P. 41, *cetate jam*. A blank for the age is left in the MS. Margaret was born October 5, 1240.

*regina mater ejus*, Mary de Coucy.

P. 45, *festum sancti Æwardi*, January 5.

P. 49, *Walden*, a Benedictine abbey in Essex.

*in octavis Nativitatis beatae Virginis*, September 15.

P. 53, *Parisius*, an indeclinable noun, here used as a locative.

*capellam . . . nobilissimam*—*i.e.*, the Sainte-Chapelle, built by Saint Louis for the reception of certain precious relics.

P. 54, *cum sororibus . . . comitissis*. Matthew Paris makes a mistake here through forgetting that Beatrice, Countess of Anjou, was also Countess of Provence.

P. 58, *sine modo . . . justitiam*, St. Matt. iii. 15.

P. 60, *quam dulcia . . . meis*, Ps. cxviii. 103.

## GLOSSARY

<i>abbatia</i>	abbey.	<i>compagino</i>	confirm.
<i>ædituus</i>	door keeper.	<i>constabularius</i>	constable.
<i>Alemannia</i>	Germany.	<i>conticinium</i>	silence.
<i>Andegavia</i>	Anjou.	<i>coquina</i>	kitchen.
<i>appello</i>	appeal.	<i>Cornubia</i>	Cornwall.
<i>arcubalistarius</i>	crossbowman.	<i>cubicularius</i>	chamberlain.
<i>assisus</i>	assessed.	<i>cuppa</i>	cup.
<i>Atrebatensis</i>	of Artois.	<i>de Curtiniaco</i>	Courtenay.
<i>Aurelianis</i>	Orléans.		
<i>aurifrigium</i>	gold thread.	<i>dapsilitas</i>	luxury.
<i>Autissiodorensis</i>	of Auxerre.	<i>decanus</i>	dean.
<i>Autona</i>	Alton (Hants).	<i>desponso</i>	give in marriage.
		<i>dextrarius</i>	charger.
<i>bajulo</i>	carry.	<i>diatim</i>	daily.
<i>ballivus</i>	bailiff.	<i>dieta</i>	day, day's journey.
<i>Barrensis</i>	of Bar.	<i>discalciatus</i>	barefoot.
<i>de Bello Campo</i>	Beauchamp.	<i>disrationare</i>	prove a case.
<i>Belvacensis</i>	of Beauvais.	<i>Dunelmensis</i>	of Durham.
<i>Beritensis</i>	of Beyrout.		
<i>Bethunia</i>	Béthune.	<i>Eboracensis</i>	of York.
<i>Bigorria</i>	Bigorre.	<i>Eboracum</i>	York.
<i>Bituricensis</i>	of Bourges.	<i>elemosinaria</i>	almsgiving.
<i>Bolonia</i>	Boulogne.	<i>emundo</i>	cleanse.
<i>bravium</i>	prize.		
		<i>firmaculum</i>	brooch, clasp.
<i>camerarius</i>	chamberlain.	<i>furfureus</i>	scurfy, dirty.
<i>Campania</i>	Champagne.		
<i>cancellarius</i>	chancellor.	<i>Glovernia</i>	Gloucester.
<i>canonicus</i>	canon.	<i>guerra</i>	war.
<i>Cantuaria</i>	Canterbury.		
<i>capa</i>	cloak.	<i>hastilidium</i>	tournament.
<i>capellanus</i>	chaplain.	<i>hebdomadalis</i>	weekly.
<i>capulum</i>	hilt.	<i>Hyberniensis</i>	Irish.
<i>Carleolensis</i>	of Carlisle.	<i>(Hiberniensis)</i>	
<i>Carnotum</i>	Chartres.		
<i>Cestria</i>	Chester.	<i>impropero</i>	upbraid.
<i>ciclas (cyclas)</i>	robe.	<i>intoxicō</i>	poison.
<i>comes (as a title)</i>	earl; count.		
<i>comitatus</i>	county.	<i>joculator</i>	minstrel.

<i>Laudunensis</i>	of Laon.	<i>Radulphus</i>	Ralph.
<i>legista</i>	lawyer.	<i>reatus</i>	guilt.
<i>Legrecstria</i>	Leicester.	<i>Remensis</i>	of Rheims.
<i>Lodowicus</i>	Louis.	<i>Sabaldia</i>	Savoy.
<i>major (civitatis)</i>	mayor.	<i>Sancti Pauli</i>	Count of St Pol.
<i>marescallus</i>	marshal.	(comes)	
<i>mutatorium</i>	change of clothes.	<i>saponarius</i>	soap-maker.
	.	<i>scaccarium</i>	exchequer.
<i>Norensis</i>	Northerner.	<i>Senonensis</i>	of Sens.
<i>olosericum</i>	robe or covering of silk.	<i>sericum</i>	silk.
<i>ordinarius</i>	ordinary (bishop).	<i>Sibilla</i>	Seville.
<i>palefridus</i>	palfrey.	<i>simonialis</i>	simoniac.
<i>palla</i>	cloak, cloth, pall.	<i>sororius</i>	brother-in-law.
<i>paranimphus</i>	groomsman.	<i>strata</i>	street.
<i>ratibulum</i>	gibbet.	<i>subarro</i>	assure, promise.
<i>phiscus (physi- cus)</i>	physician.	<i>subsolanus</i>	eastern.
<i>Pictavensis</i>	Poitevin.	<i>Suessonensis</i>	of Soissons.
<i>pincerna</i>	butler.	<i>Suhamtonia</i>	Southampton.
<i>præcipitum</i>	decline, fall.	<i>summarius</i>	sumpter-horse.
<i>præcordialis</i>	heartfelt.	<i>Tantona</i>	Taunton.
<i>Prædictor</i>	Preaching Friar (or Dominican).	<i>thesaurarius</i>	treasurer.
<i>prælibatus</i>	above-mentioned.	<i>tricameratus</i>	three-storeyed.
<i>protervio</i>	be insolent.	<i>usurarius</i>	usurer.
<i>prothomartyr</i>	first martyr.	<i>venatio</i>	hunting, venison.
<i>pupilla</i>	apple of the eye.	<i>vendico (vindico)</i>	claim.
<i>Quadragesima</i>	Lent.	<i>ventilo</i>	discuss, plead.
<i>quindena</i>	fortnight.	<i>virgator</i>	wand-bearer.
<i>quintena</i>	quintain	<i>Wallia</i>	Wales.
		<i>Wasconia</i>	Gascony.
		<i>Wintonia</i>	Winchester
		<i>xenium</i>	present.
		<i>zizanium</i>	tares.



**14 DAY USE**  
RETURN TO DESK FROM WHICH BORROWED  
**LOAN DEPT.**

**RENEWALS ONLY—TEL. NO. 642-3405**

This book is due on the last date stamped below, or  
on the date to which renewed.

Renewed books are subject to immediate recall.

**RECEIVED**

JAN 27 '70 -3 PM

LOAN DEPT.

REC'D LD APR 8 '72 -12 AM 6 2

JUN 13 2006

3 PM

LD21A-60m-6,'69  
(J9096s10)476-A-32

General Library  
University of California  
Berkeley

LD 21-100m-6,'56  
(B9311s10)476

General Library  
University of California  
Berkeley



